



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De gratiarum actione. Cap. LXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

De gratiarum actione.

CAP. LXII.

Sunt adhuc duæ species orationis, scilicet gratiarum actio & vox laudis, largè sumpto nomine orationis, secundùm quod oratio dicitur pia mentis in Deum intètio. Gratiarum actio, est omnia bona à Deo data * sentire, & pro his eum laudare corde, voce, & opere. Gratias agimus, cum bona quæ accepimus, gratiæ Dei, non nostris meritis ascribimus. Laudare Deum; est Deum laudabilem intelligere, & eius magnificètiã cum exultatione & admiratione extollere, vel pro eo quod in seipso est, vel pro his quæ facit. Gratias Deo agimus, cum de bono quod nobis ab ipso profluit, eius bonitatem commendamus. Ad gratiarum actionem pertinet, beneficia quæ accepimus, diligenter recolare, subtiliter intelligere, fideliter confiteri, studiosè seruare, benefactorem diligere, & eius offensam cauere, & gratiam acceptam non otiosè negligere, sicut ille piger seruus, qui abscondit pecuniam domini sui: sed ad id ad quod datur eam exercere, & inde non inolescere vel extolli. Ad gratiarum actionem accendit septuplex consideratio: triplex circa ipsum beneficiũ, duplex circa benefactorem, & duplex circa eum cui præstatur beneficium.

Gratiarum
actio quid
* al. scire.

Mat. 25, 18

De septuplici consideratione, qua accendit ad gratiarum actionem.

CAP. LXIII.

Beneficiũ commèdatur, si est nobile & pretiosum in se, si est vtile accipienti, si est multiplex & sæpius iteratum. In benefactore

Deus benefactor,
& eius
grandis affectus
considerandus